FRANCISCI, TERTII, BERGOMATIS, SERENISSIMI, FERDINANDI, ARCHIDVCIS, AVSTRIÆ, DVCIS, BVRGVNDIAE, COMITIS, TIROLIS, ET. C. PICTORIS. AD, POTENTISSIMVM, PHILIPPVM, HISPANIARVM. ET. C. REGEM, CATHOLICVM, AVSTRIACÆ, AFFINITATIS, IMAGINVM, PARS, QVARTA.

CL. CORNELII FRANGIPANIS.

Clara laboratis miraris corpora formis;
Præterita æternis, et legis acta notis:
Cæſariem Auſtriadum noſcis, inuictaq; bello
Pectora, & Heſperiæ regna beata plagæ.
Iam Thetis exultat patrio ſub gurgite; et inde
Murmurat auriferis unda ſuperba uadis
Terribili in Troes conſurgit claſſe Philippus,
Sæuaq; Dardanidum fulmine monſtra domat.
Fortunata parens alium miratur Achillem
Vertentem Scythicos Marte furente Deos.

Auſtriadum quicunq; uides ſublimia cartis
Ora Deum, forſan noſtras mirabere moles
Defeciſſe; omnis circum ſimulacra trophei
Debuerant Lybiæ gentes, fidensq; tumultu.
Thracum acies uictis manibus ſolia alta tenere;
Atq; humeris torquere caput ſublime columnæ.
Sed reſidet generoſa quies, et numina Diuum,
Virtutimq; chori omnes; id fingimus æquo
Mentibus Auſtriadum, gaudent meliore triumpho
Parcere ſubiectis, et debellare ſuperbos.

Cum priuilegijs per annos XV.

Gaspar Patauinus incisor.



AD POTENTISSIMVM PHILIPPVM HISPANIARVM ET C REGEM CATHOLICVM

Quicumque non ſolum veteres, verum etiam recentiores hiſtorias diligenter euoluerit, nullum Imperium in unica, ſingulariq; familia diutius, quam in Auſtriaca tua præſtantiſſima, clariſſimaque progenie Magnanime, & Inuictiſſime Rex, non dicam cõſeruatum, ſed auctum, propagatumq; fuiſſe unquam comperiet: cuius perpetuæ, legitimæq; dominationis quæ ſeries fuerit, quoq; pacto florentiſſima Regna complura, maſcula prole deſtituta, hereditario iure, materno videlicet ſanguine ſuffragante, in Heroicam hanc Auſtriacorum familiam conceſſerint: Diuus Maximilianus Cæſar, proauus tuus, ſtatuis, ſignisq; nobiliſſimis expreſſum poſteritati, teſtatumq; reliquit. Quod quidem præclari Cæſaris inſtituti nos typis nunc hiſce noſtris quanti noſtra fert humilitas, imitari conamur. ut Auſtriacorum Principum amplitudo, maieſtas, probitas, eorumq; innumeræ, eximiæq; virtutes in totum orbem terrarum longe, lateq; diffundantur. Quemadmodũ enim maiores tui Chriſtianam pietatem ſingulari ſemper ſtudio unanimes protexerunt: ſic te, turbulentiſſimis temporibus, multo etiam nunc magis, maiore nempe urgente neceſſitate eandem operam, idemq; auxilium Chriſtianæ Reip. undiq; exagitatæ daturum, aurea deniq; ſæcula ætate noſtra redditurum, ſibi omnes perſuadent: haud aliter, quam Maximo Philippo, gentili tuo, qui ob ſingularem modeſtiam, morumque integritatem Boni cognomen eſt adeptus, accidiſſe fama eſt. Quid mirum igitur, ſi propter tuam pietatem, magnitudinem animi, bellicamq; virtutem, tum externa, tum domeſtica bella, feliciter à te ſemper incepta, adminiſtrata, confectaq; ſunt? adeo ut populi, qui diuina quadam ſorte in tuam fidem, et clientelam recepti ſunt, liberali nunc otio, ſecuraque libertate perfruantur. Quod quidem gaudium, ut abſolutum, cumulatumq; reddatur, Deum ſupplices obſecramus, ut potentiſſimi Barbari Regis, qui armatus nunc Dalmatiæ, Italiæ, Pannoniæq; cladem ultimam minatur, opima ſpolia, inſigniaq; trophæa tibi, tamquam Catholico Regi, Chriſtianæq; Reip. defenſori, atq; propugnatori reſeruet: ut nos ea deinde typis noſtris expreſſa, atq; delineata, ſempiternæ nominis tui memoriæ offerre, immortalitatiq; cõſecrare poſſimus.

perpetua deuotione addictus Franciscus Tertius



Qui Fortunam in rebus humanis dominari putant, eos Ferdinandi Aragonij .V. Catholici Regis perſpicue refellit exemplum. Is dignitate formæ excellens, ingenio preſtans, inuicti animi, magni conſilij, nullius denique laudis expers, quæ cadere in Principem poßit, cedere fortunam uirtuti, caſum prudentiæ, temeritatem rationi, unus exemplo ſuo chariſsime docuit. Hiſpaniarum Rex, uxoris ſuæ Iſabellæ Henrici ſororis, dotalicio nomine creatus, excluſa herede ſuppoſiticia Eliſabetha, pleroſq; nobiles, aduerſæ partis ſtudia ſecutos, conſilio, & uirtute ita fregit, ut, dum in Bœticæ religioſa expeditione Eccleſiæ ſtipendijs operam ei nauant, cum eos ab ſeditionis, rerumq; nouarum ſtudio caute, ac prudenter auerteret, tum uero Maurorū, Saracenorūq; fœda colluuie pulſa, anno demum DCCLXXX. poſtquam id Regnū tenuerant, famam immortalem, nomenq;, ac titulum Catholici Regis primus glorioſe reportaret. Vniuerſam deinde Hiſpaniam, Neapolitanūq; Regnum, Gallis ereptum, ſuo complexus imperio, eadem religioſi animi præſtantia in Africam pia arma conuertit. Nec pretermittendum uidetur id, quod ad eius felicitatem, atq; adeo ad Chriſti gloriam, uel maxime pertinet, eius auſpicijs nouum orbem, tot ſæculis incognitum, cultorem idolorum, non modo repertum, atque perdomitum eße, uerū etiam ab exitioſo dæmonū cultu ad ſalutarem religionem, et ab agreſti, immaniq; uita ad humanitatem, & ciuilia inſtituta eße conuerſum. ex quo geminatam Catholici nominis gloriam, gemino orbe meritis immortalibus affecto, ſententia bonorum omnium eſt aßecutus.

Obijt anno ſalutis MCCCCCXVI. ætatis .... Joanne unico filio orbatus, Iſabella filia Alphonſo Philippi Joannis Luſitaniæ Regis primum, deinde Emanueli; Joanna Philippo Archiduci Auſtriæ; Maria poſt Iſabellę obitum eidem Emanueli; Catherina Arturo Britanniæ Regis filio, deinde Henrico viij Arturi fratri Regi, in matrimonium collocatis, omnibus ex Iſabella Hiſpaniæ Reginę ſuſceptis.

CAROLVS DVX BVRGVNDIAE.
Curuato procumbe genu: cole Marſia ſummi
Ora ducis; nequeant expleri corda tuendo.
Hic magnus Macedo eſt; calidi ſed temperat æſtum
Cordis, et innocuæ preſtat moderamine dextræ.

Carolus Burgundus, cognomento Bellator, Princeps inuicta animi magnitudine, inſigni ſpecie corporis, opibus à Philippo patre relictis ampliſsimis, niſi e medio rerum maximarũ curſu acerba ui fati fuiſset abreptus, plurium triumphorum gloriam, atque adeo Regium decus domui Burgundiæ haud dubie ſua uirtute reſtituiſset. Is ab adoleſcentia Alexandri Macedonis res geſtas præcipue admiratus, ad excitandam militaris diſciplinæ laudem ea tempeſtate, et animum adiecit, & omne ſtudium contulit, addita ad fortitudinẽ humanitate, sic, ut uirtutes, ſpecie diſpares, miro tamen uel artificio, uel naturæ munere coniungeret, nec minus a ſuis militibus diligeretur, quam metueretur ab hoſtibus. Prælio illo, quod ad Herrici montem cum Ludouico Rege XI. commiſit acerrimum, Ducis pariter, ac militis officio præclare fungens, deuictum Regem eo adegit, ut fœderis, cum Philippo patre apud Atrebates icti, capita, malitioſa fraude ad eam diem eluſa exſequi omnino cogeretur. Sedis Apoſtolicæ dignitatem rerum omnium antiquiſsimam habuit; & omnes ad eam amplificandam curas, cogitationesq; ſuas contulit; probitatem, et clementiam ita coluit, ut omnibus ſuis uictorijs pœnam in eos capitalem conſtitueret, qui uim, iniuriamq; Sexui feminino inferrent; ipſe continentiæ obſeruator, et cuſtos, ita diligens, ut in illius uirtutibus hæc fere primum ſibi locum uindicet: cum præſertim ſemper fuerit difficilius, longeq; præſtantius, in magna poteſtate ſibi potius, quam alijs, imperare, et, ut Princeps erat animi aperti, alienus ab omni fraude, ac dolo: ita iuſtitiæ obſeruantiſsimus liberalitatis, et beneficentiæ laude, uel omnium princeps, uel certe nemini ſecundus. intrepidi animi conſtantia, nimiaq; ſuorum fiducia ad Nanceium, mortem illi præproperam attulit: quem tamen ut optimi, ac ſapientiſsimi Principis, ita ſtrenui Ducis inſigni gloria poſteritas omnis ornabit.

Obijt anno ſalutis CIↃ. CD. LXXVI. Aetat. XLIII. Maria, ex Eliſa Borbonieſi nata, unica relicta herede: quæ poſtea Diuo Imperatori Maximiliano Auſtriaco nupſit.

DÜSSELDORF

PHILIPPVS, DVX BVRGVNDIAE.
Auſpicijs quòd Celta meis, quòd regna Británus
Obtinuere, parum eſt: pietatis gloria maior,
Velleris oblato aurati quòd primus honore
Relligio ut uigeat, proceres pia in arma coegi.

Quis ad Philippum Valeſium, Burgundionum Ducem, tot inſignibus ornatum uirtutibus, quot, et quantas ipſa prope non cognouit antiquitas, mentem, animumq; referens, talem, ac tantum Burgundiæ domui heroem non etiam atque etiam gratuletur? quis non optet cum omnibus in perpetuum Principibus iuſtitiæ, fortitudinis, liberalitatis, moderationis, atque clementiæ, ueluti diuinum exemplar proponi? Certe quod illius æui Reges maximj Galliæ, Carolus vij. et Ludouicus xi. Angliæ uero Eduardus Eboracenſis unius Philippi fidei, ſapientiæ, uirtuti, ac tutelæ decus Regium acceptum tulerint, quòdq; eiuſdem ope Eugenius Quartus a Synodo Baſileenſi Pontificatu motus, dignitati priſtinæ, illius debitæ integritati, atque innocentiæ ſit reſtitutus: Quod idem, Catholicæ defendendæ, amplificandæq; Eccleſiæ ſtudio uelleris aurei equeſtrem ordinem, cooptatis nobilitate, uirtute, rerum geſtarum gloria claris uiris, primus inſtituerit: Quod denique ſuas omnes fortunas, (quæ ad hereditatem paternam optimo iure immenſæ illi acceſſerant) omnemq; curam, et induſtriam eo contulerit, ut ſuo ductu Magni Cōſtantini Sede recuperata, Barbaros a noſtra Religione abborrentes, ſuaui Chriſti iugo ſubderet, Pij nomen iure eſt adeptus. Quod uero ſepties cum hoſte collatis ſignis uictoriam retulerit, Quodq; à filio ſuo Carolo potentiſſimum Galliæ Regem ad Herrici montem caſtris exſutum, in fugam coniectum uiderit, et in eo domeſticæ uirtutis, et gloriæ perpetuitatem agnouerit, merito felicem, et ijs bonis, quæ poſſunt in hoc humano uitæ curriculo ſumma contingere, cumulatum exiſtimare debemus.

Obijt Brugis Flandriæ, maximo mærore ſuarum Prouinciarum, quas opulentiſſimas reddiderat anno Salutis M.CCCC.LXVII. *Aet.* LXXI. *relicto unico herede Carolo ex Iſabella tertia uxore, filia Ioannis Regis Luſitaniæ.*

LANDES-
UND STADT-
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF

Hoc ipſo armorum ornatu, hac proceri corporis maieſtate Hieroſolymis egregia, et ad ueram ſimilitudinem expreſſa ſpectatur effigies inclyti illius Herois, Godefridi Billionei, Lotharingi, Sacroſancti Sepulchri aſſertoris. Qui communi cum Auſtriacis Principibus ſtirpe editus, cum in Germaniæ, Italiæq; ſeditioſis motibus comprimendis Henrico Quarto Imperatore multa geſſiſſet, Rudolfi Sueui, Imperij æmuli, præciſa in conflictu dextera; mox Sũmi Pontificis Vrbani oratione in Concilio Claramontano permotus, rubraque Cruce ab eodem inſignitus, Mediomatricum urbis Principatu ciuibus, Arcis Billioneæ Ducatu Epiſcopo Leodienſi uendito, omnem pecuniam in Sacri belli apparatum contulit, fratribus Balduino, et Euſtachio ſibi adiunctis, alijs præterea quamplurimis magni nominis Principibus Chriſtianis ueræ, ac ſolidæ gloriæ, æternæq; ſalutis amore incenſis, in ſocietatem belli ſponte coeuntibus cum trecentorum millium peditum, centum millium equitum uoluntaria manu expeditionem illam in Paleſtinam, poſt homines natos maxime memorabilem, ſuſcepit; Vrbeq; Hieroſolyma expugnata primus illam per muros uictor eſt ingreſſus. Et ut nomini, quod ei luſtricus dies patrio idiomate à Dei pace non inani futurorum præſagio impoſuit, reſponderet, in primis operam dedit, ut pax uera, quæ in agnitione filij Dei conſiſtit, annis plus minus D. illinc exſulans, ueluti poſt liminio reduceretur, Eccleſijs Verbi, Sacramentorumq; luce reſtituta. Ad hoc beneficium, quo præſtantius eſſe nullum poterat, acceſſit alterum, ut itinera pijs Europæis ad Sacrum Redemptoris Sepulcrum religioſa peregrinatione cõmeantibus pateſierent. quod armis, et ope diuina perfecit. Machometici dogmatis delirio profligato, Turcisq; ex anteriori Aſia procul ad Pontum Abactis, Saracenis uero intra Aegipti limites concluſis. Quam uictoriam pietas, et humilitas illuſtrauit. Rex enim Hiroſolymorum creatus, nunquam tamen adduci potuit, ut, in qua urbe Chriſtus Spinea redimitus genus humanum ab æterna morte redemiſſet, in ea ſibi coronam auream imponi pateretur. qua laude, cum alijs antea laudibus omnes uiciſſet uincere ſeipſum uiſus eſt.

Obijt xv. Kal. Aug. M.C. Syris, Græcisq; cum iuxta plangentibus, cum tantum regnaſſet annum, humanatus ad montem Caluariæ in ueſtibulo Eccleſiæ Golgothanæ, monumento illi ex Pario erecto. Balduino fratre, et uirtutis, et Regni relicto ſucceſſore.

IOANNES AVSTRIACVS.
Aſpice demiſſum cœlo, qui, cladibus orbem
Soluat barbaricis, deſuetaq; bella tropheis
Exagitet; Lybiæ diro ſub uulnere Mauors
Vexillum ingemuit captum, proceresq; ruentes.

Ioannes Auſtriacus, Caroli V. Imp. poſt hominũ memoriam maximi, fortiſſimiq. F. à patre acceptam gloriam multis auget uirtutibus. Is, antiquitate generis gloria maiorum, paternaq. præcipuè laude florens, minimum tamẽ in ijs, plurimum in uirtute præſidij, et ornamenti ſibi ſtatuit. nimirum ſentiens, Nobilitatem, tamquam lumen eſſe, quod ut præclare geſtis, ita et contra lumen præferat. nobilium enim facta, ut excelſiore loco sint, ita præ ceteris illuſtriora eſſe debere. à primis igitur annis laboribus, periculisq. aſſuetus, et ſtrenuus euasit imperator, et à fortuna felicitatem acceptam, quam plurimum poſſe in rebus gerendis, quis dubitet? cum uirtute coniunxit: ut à tanto iuuene ea merito speranda sint, quæ principijs non modo respondeant, ſed eam quoque nobis ad tranquillitatem uiam ſtruant, quam fruſtra tamdiu ab omnibus quæſitam nemo reperit. Dux terra mariq. summus, quid conſilium poſſet, quid uirtus, docuit: Mauros, Philippo fratri aduerſantes, domuit. Turcas, exitium uniuerſo Chriſtiano generi minitantes, nauali proelio, omniũ glorioſiſſimo, proſtrauit. Quo egregio facinore, et æternam nominis immortalitatem ſibi peperit; et exemplum mortalibus, atq; poſteris tradidit, poſſe eos quoque conſilio, et uirtute ſuperari, qui ſe nullis uiribus, nulla potentia frangi poſſe putant.

A. ∞DLXXI

LANDES
BIBLIOTHEK
DÜSSELDORF